

Ad secundam confirmationem, similiter respondeo, quod in illo priori originis, quo Pater intelligitur constitutus, & potens generare Filium, intelligitur a nobis tota essentia, quia pro tali signo in eo concipiuntur omnia attributa & predicata essentialia; sed non intelligitur totaliter, quia non explicatur pro illo signo omne quod pertinet ad essentiam divinam, tanquam modificativum & terminativum illius.

99 Tertio obijciunt: Quidquid essentialiter predicatur de Divinitate, predicatur etiam essentialiter de singulis personis divinis: At de Patre non predicatur essentialiter filio, neque e contra de Filio paternitas: Ergo paternitas & filio non sunt de essentia Divinitatis.

Hoc argumentum plurimum extollunt & magnificant Adversarii, illudque Suarez evidens ac demonstrativum appellat. Longe tamen a veritate distat illius iudicium; nam argumentum illud est pure sophisticum, ac simile illi quod Hæretici formant contra Mysterium Trinitatis, hoc modo: Quidquid entitative & realiter est Deus, seu essentia divina, est in qualibet persona divina & de illa predicatur: Sed filio v.g. est realiter entitative Deus, seu essentia Dei: Ergo filio convenit culibet persona divine, & de illa predicatur. Quare sicut hoc argumentum est purum sophisma, & peccat mutando quid in ad aliquid (quod D. Thomas appellat fallaciam accidentis in Divinis) ita & argumentum Suarez. Unde

100 In forma respondeo primo, distinguendo Majorem: Quidquid essentialiter predicatur de divina natura, tanquam quid, seu per modum predicati quidditativi, eo modo quo attributa de illa emanantur, predicatur etiam essentialiter de singulis personis divinis, concedo Majorem. Quod predicatur tanquam ad aliquid, & per modum relationis, seu tanquam modus inadequatus divina nature, nego Majorem. Paternitas autem & filio, ut sepe diximus, non sunt predicata quidditativa divina nature, nec ad metaphysicam ejus constitutionem pertinent, sed solum sunt modi quidam inadequati & inconvertibiles, a quibus essentia divina, ob infinitam suam fecunditatem, potest essentialiter modificari & terminari: unde illis sublati, destrueretur divina essentia.

Potestque hoc explicari, exemplo entis, quod essentialiter potest modificari per modos existendi per se, & in alio: Unde illi sunt de conceptu quidditativo entis, quamvis totam ejus latitudinem & amplitudinem non adqueant, nec sint cum eo convertibiles. Id enim, ut sepe diximus, habet essentia divina ratione infinitatis, & summe actualitatis, quod habet ens ratione suatranscendentia & communicatis. Aptius adhuc exemplum esset ad hoc explicandam, si natura humana subsisteret a parte rei separata ab individuis, ut ponebat Plato: in tali enim casu natura humana identificaret sibi essentialiter omnia individua, & tamen quolibet seorsim esset inadequatum respectu illius.

101 Secundo responderi potest argumento Suarez, aliter distinguendo eandem Majorem: Quidquid essentialiter predicatur de Divinitate, predicatur etiam essentialiter de singulis personis: vel absolute, vel cum reduplicatione essentie, concedo Majorem: absolute semper, nego Majorem. Similiter distinguo Minorem: de Patre non predicatur filio, absolute, concedo Minorem: cum reduplicatione essentie, nego Minorem, & Consequentiam. Solutio patet ex supra dictis: sicut enim hæc propositio: Paternitas est communicabilis, absolute concedi non potest, bene tamen cum addito, & specificata essentia ex parte subiecti, dicendo scilicet: Paternitas est essentia divina, pluribus communicabilis. Ita etiam ista: Pater est filio, absolute concedenda non est: bene tamen ista: Paternitas est essentia, qua filio essentialiter est.

102 Obijciunt ultimo: Si relationes essentialiter includerentur in divina essentia, illa non esset pure absoluta, sed partim absoluta, & partim relativa: immo & ad aliud relata, proprius enim effectus relationis est, consistere relatum ad aliud.

103 Respondeo quod hoc inconveniens sequeretur, si relationes includerentur in essentia divina explicitè & constitutive, aut per modum predicati essentialis: scilicet autem, ex eo quod implicite tantum, & tanquam modi quidam inadequati in ea includantur: ut patet exemplo entis sepius adducto. Ex eo enim quod modus differentialis predicamenti relationis implicite in ente includatur, non sequitur rationem entis ut sic esse ad aliud relatum, quia ad hoc necessarium esset ut explicite & constitutive in illo importaretur.

104 Dices: Ex eo quod ratio entis includit implicite diversitatem modorum, non gaudet perfecta unitate, sed solum unitate analogâ: Ergo pariter, si divina essentia implicite contineat diversitatem relationum, perfecta unitate & simplicitate non gaudebit.

Respondeo distinguendo Antecedens: Præcisè ex illa causa, nego Antecedens. Ex illa, & qualitas finitus conceptus est, & communis solum communitate rationis, concedo Antecedens, & nego Consequentiam: nam conceptus explicitus essentie divine infinitus est, & communis, non communitate rationis, sed reali.

Quomodo realis relationum distinctio stare possit, cum perfecta identitate illarum in essentia?

Hanc difficultatem merito appellat Gregorius Nyssen 105 nus ENIGMA SACRATISSIMUM, cuius perfecta intelligentia & solutio usque ad clarum de visione differenda est. Unde non otiose in Evangelio dicitur, de nocte venisse quemdam ad amicum suum, & rogasse, Amice accomoda mihi tres panes, prout non esse aliud quam Trinitatis cognitionem (quæ verus animi cibus est) docet Augustinus ferm. 29. de verbis Domini. De nocte enim venit: quia caliginosa & obscura est, quamdiu in hac vita mortali sumus, trium personarum in unitate indagatio, & Reatorum est verius, quam hic peregrinantium. Quod etiam forte sub mysterio indicatum est Genes. 18. ubi dicitur Abraham in officio Tabernaculi fuisse, quando tres vidit, & unum adoravit: quasi tunc incipiat anima in Trinitate personarum nature unitatem aspicere, cum in extremis constituta, & tabernaculo corporis egreditur.

Quia tamen Catholicus Doctor debet fidei Mysteria defendere, & ostendere illa principiis luminis naturalis minime repugnare, nec esse contra rationem, quamvis sint supra rationem, proposita difficultas breviter discutenda est, & quomodo realis relationum aut personarum distinctio, cum perfecta identitate illarum cum essentia, coherere possit, breviter declarandum est.

Ratio autem dubitandi, & eaque gravissima, petitur ex illo communi principio, quod est præcipuum totius artis syllogisticae fundamentum: Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se: Sed (substantur) divinae relationes realiter identificantur cum essentia, ut supra ostensum est: Ergo realiter identificantur inter se.

Hoc argumento oppressi Hæretici, & huic veluti scopulo allidentes, naufragium in fide fecere, & in variis erroribus prolapsi sunt. Sabellius enim pluralitatem ac distinctionem realem personarum sustulit: Arius essentia unitatem negavit: Gilbertus Porretanus distinctionem realem entitativam inter essentiam & relationes posuit. Catholici vero Doctores, ut Durandus & Scotus, saltem distinctionem modalem, aut formalem ex natura rei, inter relationes & essentiam fixerunt. Nominales e contra in alio extremo positi, ea ne ratione quidem distingui inter se docuerunt. Denique Suarez & Vazquez, ut ab hac difficultate facilius se expedirent, dixerunt præsumptum axioma tenere solum in rebus creatis, non vero in Deo; in quo propter infinitatem potest eadem numero natura in tribus personis realiter distinctis subsistere. Sed hi omnes modi dicendi superius impugnantur, excepto ultimo, qui merum effugium est, & proposita difficultas elusio, non solutio, potestque facile consulari: Nam principium illud (ut diximus) est præcipuum, ac fere unicum totius artis syllogisticae fundamentum; illa enim ex identitate extremorum cum tertio, facta in præmissis, infert in conclusione identitatem illorum inter se: Sed ars syllogistica non minus locum habet in Deo, quam in creaturis: Ergo & præfati principii veritas. Hac ergo solutione rejecta.

107 Aliter proposita difficultas occurrendum est, ac dicendum cum Angelico Præceptore q. 8. de potentia art. 2. ad 7. & 10. argumentum, & 1. ad Annibal. dist. qu. unica art. 1. ad 1. & hic art. 3. ad 1. Axioma illud philosophicum esse universaliter verum, quando extrema identificantur cum tertio re & ratione; quando autem realiter identificantur cum tertio, ratione tamen distinguuntur ab illo, non esse universaliter verum. Unde cum relationes divine essentialiter sint idem cum essentia, ratione tamen ab illa distinguantur, ex identitate illarum cum divina essentia, non sequitur identificari realiter inter se.

108 Ratio autem hujus doctrinae est, quia eo ipso quod extrema ratione distinguuntur a medio, possunt ex eo capite quo differunt importare oppositionem relativam, & ratione illius realiter inter se distinguuntur, quamvis a medio, cum quo oppositionem non habent, realiter non distinguantur. Et ita contingit in Deo: quia enim paternitas & filio ratione & virtualiter ab essentia distinguuntur, explicantur rationes oppositas inter se, scilicet autem cum essentia: & id eo inter se realiter distinguuntur, quamvis idem sint cum essentia. Sicut si per impossibile tres entis proprietates, scilicet unum, verum, & bonum (servata perfecta identitate cum ratione entis in eis transcendentia inter inclusa) oppositione relativa inter se gauderent, ratione hujus oppositionis realiter inter se distinguerentur, quamvis a ratione entis in eis imbuta ratione tantum differrent.

109 Eiusdem mysterii aliquod cernitur vestigium in actione, & passione, & motu, quæ D. Thomas hic art. 3. ad 1. in exemplum illius adducit: nam licet actio & passio a motu distinctione solum modali distinguantur, differunt tamen realiter inter se, distinctione reali majore, propter oppositionem quam habent. Et si motus esset tante perfectionis & amplitudinis, ut posset sibi omnino realiter identificare actionem & passionem, cum sola distinctione rationis ratiocinata, ad hæc

adhuc actio & passio, ratione oppositionis qua gaudet realiter inter se distinguerentur. Dixi aliquod cerni vestigium: quia ut ait idem S. Doctor in 1. dist. 33. qu. 1. art. 1. ad 2. omnia similia, quæ ad explicandam unitatem essentie cum distinctione personarum ex creaturis adduci possunt, plus habent de dissimilitudine, quam de similitudine: & ideo magis adhibent a veritate myserii, quam in ejus certitatem intellectum inducant.

110 Sed contra illam solutionem, & illius axiomatis explanationem a D. Thoma traditam, obijci potest, quod idem S. Doctor a. contra Gentes cap. 9. ut probat quod potentia Dei & illius actio sunt idem, arguit sic: Quæ uni & eidem sunt eadem, sibi invicem sunt eadem: Divina autem potentia est ejus substantia, ejus etiam actio est ejus substantia: Ergo in Deo non est aliud potentia, & aliud actio. Ita de verbo ad verbum D. Thomas. At potentia & actio non identificantur re & ratione cum divina substantia, sed tantum realiter, cum distinctione rationis: Ergo juxta D. Thomam tenet præfatum principium, non solum quando extrema re & ratione identificantur cum tertio, sed etiam cum solum realiter identificantur cum illo.

111 Hanc difficultatem movet Ferrariensis loco nuper allegato, & respondet, distinctionem rationis ratiocinantis extremorum a tertio non obitare, quominus ex colligatur reali cum illo, realis illorum identitas inter se colligatur; bene tamen distinctionem rationis ratiocinata, quæ ortum habet ex rebus secundum se, & non ex sola imperfectioe nostri intellectus: potentia autem & operatio solum ratione ratiocinante distinguuntur ab essentia divina; paternitas vero & filio, ratione ratiocinata, seu virtualiter ab illa differunt, & ideo ex identitate potentia & operationis cum divina essentia, recte intulit D. Thomas, illas realiter identificari inter se; quamvis ex identitate relationum cum essentia, realis earum identitas inter se non inferatur.

112 Hæc solutio probabilitate non caret, quia tamen non habet locum in opinione plurium Thomistarum, qui operationem & potentiam ab essentia divina virtualiter differre existimant, ut proposita difficultas, in omni sententia resolvatur.

113 Secundo, & forte melius responderetur, distinctionem rationis ratiocinante extremorum a medio, non inferre positive distinctionem realem extremorum inter se, sed tantum permissivè: id est permissit ut in aliqua materia realiter inter se extrema distinguantur, non obstante reali identitate cum tertio. Tunc autem exerceret permissio, quando extrema distinguantur ratione per formalitates importantes oppositionem; & quia paternitas & filio in Divinis ab essentia distinguantur virtualiter, & ratione ratiocinata per formalitates oppositas relative, inde fit, ut ex reali identitate, quam habent cum essentia divina, non inferatur licet identificari inter se. Ceterum potentia & operatio, licet distinguantur ratione ratiocinata ab essentia (ut aliqui probabiliter sentiunt) non tamen importent formalitates oppositas relative: & ideo ex eadem identitate cum divina essentia, recte intulit D. Thomas illa identificari inter se.

Hæc doctrina est expressè D. Thomæ hic art. 3. ad 2. quod ita procedebat: Sicut paternitas & filio, secundum nominis rationem, distinguuntur ab essentia divina, ita & bonitas & potentia: Sed propter hujusmodi rationis distinctionem, non est aliqua realis distinctio bonitatis & potentiae divinae; Ergo neque paternitas & filio. Cui argumento sic respondet: Ad secundum dicendum, quod potentia & bonitas non importent in suis rationibus aliquam oppositionem, unde non est similis ratio. Sentit ergo, quod quando extrema ratione distincta a medio, non importent rationes oppositas relative, tunc identitas illorum cum tertio arguit realem identitatem illorum inter se: scilicet autem quando importent rationes inter se relative oppositas, ut contingit in subiecta materia. Quare idem S. Doctor in 1. sent. dist. 2. q. 1. art. 5. ad 4. hæc scribit: Licet sapientia divina secundum suam rationem differat ab aliis attributis, non tamen illis opponitur, cum sapientia bonitatem & alia attributa secundum comparationem esse in eodem subiecto; & ideo non habet rationem distinguendi supposita divina nature, sicut habent relationes oppositæ: sed sicut sapientia divina realiter facit effectum sapientia, propter veritatem rationis ipsius quæ manet, ita relatio facit verum distinctionem, propter relationis veram rationem qua salvatur. Quibus verbis non solum responsum nostrum confirmat, sed etiam rationem fundamentalem insinuat, cur relationes divine, non obstante reali identitate cum essentia, realiter inter se distinguantur. Nam proprium est rei infinite identificare sibi res, salvis earum rationibus formalibus: unde sicut ratio formalis sapientie (quæ est cognoscere res per altissimum causam) perfectissime salvatur in Deo, non obstante identitate ejus realiter cum essentia: ita & ratio formalis relationis debet in eo perfecte salvari, non obstante identitate reali illius cum natura divina: Sed propria ratio ac essentia relationis est opponi suo correlativo, & ab eo realiter distinguui: Ergo divina relationes, salva reali identitate quam habent cum essentia, opponuntur realiter inter se, & ratione hujus oppositionis realiter inter se distinguuntur.

114 stinguuntur. Hic est profundissimus D. Thomæ discursus, & vera ac germana hujus principii, quod totius artis syllogisticae fundamentum est, explicatio & intelligentia: ex qua facile diluuntur aliqua instantia, quæ a quibusdam Recentioribus opponi solent in contrarium.

Sic enim arguit Molina & Vazquez: Recte inferitur Petrum esse animal, ex hoc quod fit idem cum homine: a quo tamen petreitas & animalitas distinguuntur ratione: Ergo licet extrema a tertio ratione differant, recte inferitur ea realiter identificari inter se, ex eo quod realiter cum tertio identificantur.

115 Præterea, Ex hac solutione & doctrina D. Thomæ sequitur syllogismus expositiorum esse profusus inutillem: Sed hoc non est dicendum: Ergo &c. Sequela probatur: Quando extrema re & ratione identificantur cum tertio, sunt synonyma inter se: Sed nulla est necessitas probandi synonymia sibi esse idem; ita enim notum est ac apertum, tunicam & indumentum identificari inter se, ut probatione non egeat, immo stultum fit talem probationem intendere: Ergo si principium illud: Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se: solum est universaliter verum, quando extrema re & ratione identificantur cum tertio, sequitur syllogismus expositiorum nullus esse utilis.

116 Sed ad hæc patet responsio ex supra dictis. Ad primum enim jam diximus, eo quod extrema ratione distinguuntur ab aliquo tertio, non posse positive inferri ea realiter distinguuntur inter se, sed tantum permissivè: & permissioem tunc exerceri, quando extrema distinguuntur ratione a tertio, per formalitates importantes oppositionem relativam. Unde quia animal & Petrus non distinguuntur ratione ab homine, per formalitates relative oppositas, sicut paternitas & filio in Divinis distinguuntur ab essentia: hinc sequitur recte inferri, Petrum esse animal, ex eo quod Petrus & animal sint idem cum homine; non tamen recte colligi, Patrem & Filium realiter identificari inter se, ex eo quod paternitas & filio ratione solum ab essentia differant.

117 Ad secundum, nego etiam sequelam. Ut enim utilitas syllogismi expositiorum salvetur, sufficit quod quamvis solus in terminis synonymis habeat vim universalem, & sine instantia; inter extrema tamen ratione distincta a medio, quæ synonymia non sunt, habeat vim inferendi in materia particulari, sicut revera habet; quia (ut modo dicebamus) principium illud philosophicum: Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se, tenet in extremis identificatis realiter cum medio, quamvis differant ab illo ratione, si illa extrema non importent formalitates oppositas.

118 Secunda solutio rationis dubitandi initio propositæ, & secunda præfati axiomatis explicatio, fumiunt etiam ex D. Thomæ in 1. dist. 33. qu. 1. art. 1. ad 2. ubi hæc scribit: Si aliquando duo sunt idem, secundum id quod idem sunt, in quocumque est unum, est & alterum: Paternitas autem & essentia divina sunt idem secundum esse; & ideo sicut in Filio est esse essentia, ita & in Patre est esse paternitas, quia in Divinis non est nisi unum esse. Sed paternitas habet aliquid in quo non unum cum essentia, scilicet rationem paternitatis, quæ est alia a ratione essentie: unde secundum illam rationem respectus potest esse in Patre & non in Filio, seu distinguere Patrem a Filio. Quibus verbis declarat S. Doctor, ea quæ sunt eadem uni tertio, esse eadem inter se, secundum id quod est ratio identificationis in tertio, non vero secundum aliud. Unde quia esse, seu essentia, est ratio in qua paternitas & filio identificantur, non vero ipsa relatio aut personalitas; sequitur quod Pater & Filius sint idem in essentia, seu essentialiter, non vero idem personaliter, seu in relatione. Eandem interpretationem tradunt Capreolus in 1. dist. 2. qu. 4. Ferrariensis a. contra Gent. c. 9. & Scotus in 1. dist. 2. qu. 4.

119 Contra illam tamen arguit Molina, Vazquez, Suarez, & alii Recentiores, in hunc modum. Si ex identitate extremorum cum tertio, solum inferretur illorum identitas in tertio, probaretur idem per idem, & esset manifesta petitio principii: Sed hoc non est dicendum: Ergo &c. Probatur Major: Identitas extremorum in medio affirmatur in præmissis: Ergo si pro conclusione inferatur sola ista identitas, idem per idem probatur, & petitur principium.

Respondeo negando Majorem, ad probationem, nego Antecedens. Aliud enim est identitas extremorum cum medio, aliud vero identitas extremorum in medio: quia in primo importatur medium, ut extremum identitatis aliorum extremorum cum illo: in altero autem medium importatur, non ut extremum, sed ut medium identitatis; extrema vero sunt illa, quorum identitas cum medio in præmissis affirmatur: v.g. in hoc syllogismo: Hæc essentia divina est paternitas: Hæc essentia est filio: Ergo paternitas & filio sunt idem in essentia, vel ejusdem essentie: in præmissis importatur essentia, ut extremum identificationis filiationis & paternitatis; in conclusione autem non sic importatur, sed extrema sunt paternitas & filio, essentia autem est medium in quo, & ratione cujus inter se identificantur.

120 Tertia explicatio præfati axiomatis est Capreoli, Nazarii, Salmanticensium, & aliorum, qui docent illud habere locum tantum in his, quæ sunt idem cum tertio adqueant

& convertibiliter: secus autem in his quae illi sunt idem inadequate, & inconvertibiliter. Unde quia quaelibet relatio divina identificatur cum essentia, dumtaxat ut modus inadequate & inconvertibilis, ut patet ex dictis articulo precedenti: non potest inferri, quamlibet relationem esse idem cum altera relatione, ex eo quod sint idem in essentia divina.

121 Dices primo: In hoc syllogismo: *Omnis homo est animal: Petrus est homo: Ergo Petrus est animal.* Minor extremas identificatur inadequate & inconvertibiliter cum medio; nam ly *Petrus*, non est idem omni homini; & tamen inferitur ex huiusmodi identitate minore extremitate esse idem cum maiori, scilicet Petro cum animali: Ergo expositio adducta non valet; vel si valet, etiam hac argumentatio erit legitima: *Paternitas est essentia: Filiatio est essentia: Ergo Paternitas est Filiatio.*

Respondet quod quamvis in hoc, & similibus syllogismis, minor extremas identificatur inadequate & inconvertibiliter cum medio, major tamen ipsi identificatur adequate, & illud excedit; unde identitas minoris extremitatis cum maiori, non inferitur in conclusione, ex inadequate identitate illius cum medio, sed potius ex adequate identitate illius cum illo: nam hoc ipso quod animal identificatur adequate cum homine, oportet etiam quod identificatur cum Petro, sub homine contento. Unde hac argumentatio valet, non autem alia: quia in alio syllogismo nulla extremitas adequate identificatur cum medio.

122 Dices secundo: Explicatio tradita menti Aristotelis & omnium antiquorum Philosophorum adverteratur; illi enim probabant, eo ipso quod eidem tertio duo identificentur, necessario debere identificari inter se: Ergo non admittebant posse duo inadequate identificari cum tertio.

Respondet totum hoc esse verissimum. Etenim Gentiles Philosophi, lumine fidei destituti, & solius rationis naturalis dictamine ducti, non potuerunt assequi notitiam mysterii Trinitatis: in quo solo invenitur inadequate identitas distinctorum realiter cum uno singulari. Unde explicatio tradita praefati axiomatis, non est Gentilis Philosophi, sed Philosophi Christiani, qui fidei lumine instructus, & de mysterio Trinitatis edoctus; Gentilium errores corrigi. Neque ex eo quod mysterium Trinitatis sit contra principium illud, prout a Philosophis intellectuum, sequitur esse luminis rationis contrarium; licet enim omne quod illi sunt affectui, situationi naturali conformem, non tamen omne quod non affertur fuerunt, rationi naturali adverteratur. Gentiles enim Philosophi nihil supernaturalis cognoverunt, & tamen supernaturalia contra naturam non sunt, sed potius conformia naturae, hoc est ei consona & convenientia.

123 Ex dictis colliges, syllogismum illum expositivum: *Hic essentia divina est Pater: Hic essentia est Filius: Ergo Filius est Pater*, duplici laborare defectu. Primus est, quia medium, scilicet *Hic essentia divina*, non singularizatur perfecte; eo quod quamvis essentia divina singularis & individualis sit, est tamen communis realiter tribus personis, ac proinde in supponendo aequivalere termino communi. Unde sicut hac consequentia non valet: *Petrus est homo: Paulus est homo: Ergo Petrus est Paulus*; quia medium est commune per rationem; ita consequentia facta non tenet, quia est commune realiter.

124 Secundus defectus (si forte a precedenti distinguitur) est, quia medium se habet aequivoce in supponendo: nam in Majori supponit pro Patre, in Minoribus autem, pro Filio. Unde sicut ista consequentia non valet: *Petrus est homo: Paulus est homo: Ergo Petrus est Paulus*, quia ly *homo* in Majori supponit pro uno individuo, & in Minoribus pro alio; ita prima consequentia a nobis facta non tenet; quia in Majori, *hic essentia divina*, verificatur pro uno supposito, & in Minoribus pro alio. Quare ut in Divinis recte arguatur, debet singulare distribui hoc modo: *Omnis res quae est essentia divina, est Pater: Filius est res quae est essentia divina: Ergo Filius est Pater.* Vel aliter: *Hic essentia divina secundum omnem sui formalitatem est Pater: Filius est hic essentia divina: Ergo Filius est Pater.* In quibus syllogismis nullus quidem est equivocationis defectus, sed falsitas in Majori & in Consequentia reperitur. Licet enim verum sit, quod aliqua res, quae est essentia divina, est Pater, falsum tamen est, quod omnis res, quae est essentia divina, sit Pater. Item licet essentia divina, secundum aliquam formalitatem sit Pater, non tamen secundum omnem, cum aliqua illius formalitas, sit Filiatio. De quo videri potest Barnezi in summis, in Tractatu de modo arguendi in Divinis.

ARTICULUS IV.

An Spiratio activa realiter a paternitate & filiatione distinguitur?

125 Suppono tanquam certum & indubitatum, praeter paternitatem & filiationem, esse in Patre & Filio aliam relationem, quae spiratio activa appellatur. Cum enim Pater & Filius realiter a Spiritu Sancto distinguantur, & omnis distinctio realis in Divinis proveniat ex oppositione rela-

tiva; aliunde vero Pater & Filius per paternitatem & filiationem se invicem tantum respiciant, ideo praeter paternitatem & filiationem debet dari alia relatio, quae respiciat Spiritum Sanctum, eique relative opponatur. De hac ergo relatione, quae (ut dixi) spiratio activa appellatur, inquirimus, an a paternitate & filiatione realiter distinguitur?

Partem affirmativam tenent Durandus & Scotus, admittentes distinctionem modalem aut formalem ex natura rei, inter spirationem activam, & paternitatem, ac filiationem. Negativa tamen communis est apud Theologos, eamque expresse docet S. Thom. in 1. dist. 27. q. 1. art. 1. Unde Dico breviter, spirationem activam non distingui realiter, sed tantum virtualiter, a paternitate & filiatione.

Probat primum ratione quam indicat S. Doctor loco citato. In Divinis omnia sunt unum, ubi non obviat relativa oppositio: At relatio spirationis relative non opponitur paternitati & filiationi: Ergo realiter ab illis non distinguitur.

Præterea: Si realiter ab illis distingueretur, daretur in Deo quaternitas rerum, immo & personarum; illa enim spiratio constitueret Spiratorem, a Patre & Filio realiter distinctum, qui esset aliquid in natura divina subsistens, & consequenter persona divina.

Nec valet responso Durandi, dicentis spirationem non constituere personam divinam, quia cum sit communis Patri & Filio, non est subsistens incommunicabiliter; quod necessario requiritur, ut aliqua relatio in Divinis sit constitutiva personae. Non valet (inquam) hac responso: pugnat enim quod spiratio activa realiter a paternitate & filiatione distinguitur, & tamen sit communis Patri & Filio; quia (ut supra dicebamus) non potest ab illis realiter distingui, nisi illis relative opponatur, nec potest illis relative opponi, si sit communis Patri & Filio, quia incommunicabilis oppositionem relativam necessario consequitur.

Deinde, Ex hac Durandi & Scoti sententia sequitur, 126 Patrem æternum non esse omnino simplicem, sed compositum ex paternitate & spiratione, vel saltem esse minus simplicem quam Spiritum Sanctum, in quo unica tantum spirationis passiva relatio reperitur. Sequela patet: ut enim supra dicebamus, agendo de distinctione relationum ad essentiam, sicut ex unione duarum entitatum realiter distinctarum resultat compositio realis entitativa; ita ex unione modi aut formalitatis realiter distinctæ, compositio modalis aut formalis exurgit.

Quod vero spiratio activa virtualiter sit a paternitate & filiatione distinguitur, patet, quia illae relationes diversos terminos respiciunt; unde cum distinctio specificæ relationum a diversitate terminorum sumitur, illæ specie (virtualiter saltem) in ratione relationis differre debent.

Obijciunt primo: Si spiratio activa virtualiter solum a paternitate distingueretur, posset de illa predicari: sicut unum attributum predicatur de alio, quia ab illo virtualiter tantum distinguitur: Consequens est falsum, ut colligitur ex D. Thoma infra q. 22. art. 3. ad 3. Ergo & Antecedens.

Respondet negando sequelam Majoris: nam, ut notat idem S. Doctor ibidem, sicut licet hac propositio sit vera: *Divina potentia est divina scientia*; illa tamen est falsa: *Attributum potentiae, est attributum scientiae*; quia quando dicitur, *Attributum*, exprimitur illa divina perfectio secundum rationem explicitam quam important, sub qua ratione non sunt idem formalissime; ipsaque distinctio virtualis, quae distinguitur inter se, per modum significati, & non solum per modum conditionis, exprimitur, ut in Tractatu de Attributis in communi declaravimus dist. 3. art. 3. Ita pariter, licet hac propositio sit vera: *Paternitas est spiratio*; hac tamen est falsa, *Relatio paternitatis est relatio spirationis*: quia quando additur illud nomen *Relatio*, tunc explicite, & per modum constitutionis, importatur respectus ad terminum, quia non est idem in paternitate & spiratione; prima enim respicit filiationem, altera vero processionem, seu spirationem passivam.

Obijciunt secundo: Paternitas & spiratio activa sunt duae relationes: Ergo & duae res: Ergo realiter distinguitur. Hac ultima consequentia patet, prima vero probatur. Multiplicatio inferiori, debet multiplicari superior: Sed res est quid superius ad relationes reales: Ergo si paternitas & spiratio sint duae relationes reales erunt etiam duae res.

Respondet concessio Antecedente, negando primam Consequentiam, quia variatur appellatio. Nam nomen numerale, *duae*, in Antecedenti applicat supra relationem, unde denotat solum multipliciter relationum realium, ad quam sufficit quamlibet esse realem, licet non distinguantur realiter, sed tantum virtualiter: in consequenti vero appellat supra realitatem, unde denotat multipliciter rerum, & consequenter quod distinguantur sicut res a re. Quare ad probationem respondendo, eo tantum modo debere multiplicari superior, quo multiplicatur inferior: in proposito autem inferior non multiplicatur cum mutua distinctione reali: Ergo nec superior cum hac distinctione reali debet multiplicari, quod tamen denotat illa propositio: *Paternitas & Spiratio sunt duae res.*

Insuper: Paternitas & Spiratio sunt duae relationes, ut 127 docet D. Thomas loco nuper allegato: Ergo & duae res realiter.

lative. Consequentia videtur manifesta: nam relatio & res relativa idem prorsus sonare videntur.

Respondet concessio Antecedente, negando Consequentiam. Licet enim relatio & res relativa quoad rem significatam sint idem, tamen ex parte modi significandi, qui maxime attenditur in propositionibus, distinguntur: quia illud nomen *relatio*, simpliciter enunciatum, exprimit relationem per modum puri respectus & in ordine ad connotatum extrinsecum, seu terminum correlativum, quando vero dicitur, res relativa, tunc relatio exprimitur per modum formæ. Unde dicere quod in Patre sint duae relationes, est dicere quod sint respectus ad diversos terminos, quod verissimum est: affirmare vero quod in illo sint duae res relative, est asserere quod in illo sint veluti duae formæ, quod est falsum.

ARTICULUS V.

An relationes divinae addant aliquam perfectionem relativam ad essentiam?

128 Non inquirimus hic, an relationes divinae, ut virtualiter ab essentia distinctæ, dicant perfectionem, sed id tanquam certum supponimus. Cum enim distinctio virtualis relationum ab essentia, non sit distinctio rationis per modum excludentis & exclusi, ut art. 2. ostendimus, relationes divinae, etiam ut virtualiter distinctæ ab essentia, illam implicite includunt, & consequenter infinitam ejus perfectionem in se imbibunt; ratione cujus necessario amantur a Deo, & debent adorari adoratione laetiae, ut docet S. Thomas hic art. 2. in argumento *sed contra*. Quod ergo in dubium vertimus, est, an sicut attributa addunt ad essentiam perfectionem aliquam absolutam, virtualiter distinctam a perfectione essentiae, etiam relationes, praeter absolutam perfectionem essentiae, quam implicite includunt, super rationem conceptus relativi, & quatenus sunt pari respectus ad terminum, vel (ut alii loquuntur) secundum rationem *ad*, expriment perfectionem aliquam relativam, virtualiter distinctam a perfectione essentiae, vel solum absoluta essentiae perfectione gaudeant.

Partem affirmativam tenent Suarez lib. 3. de Trin. cap. 9. & 10. Granado tom. 3. in 1. partem tract. 3. disp. 3. sect. 2. Valencia, Arrubal, Ruiz, & ex nostris Ledesma de divina perfectione q. 2. art. 2. & Gonz. hic disp. 6. sect. 1.

Sententia tamen negativa in Schola D. Thomae communior est, eamque defendunt omnes fere antiqui Thomistae; quibus subseribunt plures ex Recentioribus, quos citant & sequuntur Salmaticenses hic disp. 6. dubio 2. Unde fit

§. I.

Sententia negativus praefertur.

129 Dico igitur, divinas relationes non addere perfectionem relativam ad essentiam.

Hanc conclusionem videtur docere D. Thomas variis in locis, praesertim q. 2. de potentia art. 5. & infra q. 42. art. 4. ad 2. ubi asserit, relationem secundum rationem sui generis, & in quantum est relatio, non habere quod sit aliquid, sed solum quod fit ad aliquid; ex quo inferit, quod quidquid dignitatis & perfectionis habet Pater, habet & Filius. Id ibidem docet perfectionem & dignitatem in Divinis pertinere ad essentiam, & non ad relationem. Quod etiam docuit Augustinus lib. 7. de Trin. cap. 1. & 6. ubi ait: *bonitatem & magnitudinem perfectionis in Divinis, non relative, sed ad se dicit.* Ex quibus verbis hoc potest argumentum constitui: Relationes ad essentiam nihil addunt absolutum, ratione ab illa distinctum: Sed ex Augustino ratio perfectionis in Deo, non relative, sed absolute dicitur; Ergo relationes divinae non addunt perfectionem ad essentiam, ratione ab illis distinctam.

130 Præterea suaderi potest conclusio ratione quam insinuat S. Thomas hic art. 2. ubi hoc discrimen inter relationem & alia predicamenta constituit, quod in aliis generibus a relatione, etiam propria ratio generis accipitur secundum comparationem ad subjectum, sed ratio propria relationis non accipitur secundum comparationem ad illud in quo est, sed secundum comparationem ad aliquid extra. Quorum verborum sensus non est (ut aliqui male interpretantur) quod relatio in quantum talis, & prout ab aliis predicamentis distinguitur, sit in se inherens subjecto, sed illi tantum assistens, ut de relationibus divinis olim fingebat Gilbertus: sed intendit S. Doctor hac differentiationem inter relationem & alia predicamenta statuere, quod alia predicamenta respiciunt subjectum ratione sui in illo sistendo, & ponendo in illo aliquid, per quod subjectum se habet ad se, & non ad aliud, ut patet in quantitate, quae secundum propriam rationem ponit in substantia extensionem partium, per quam illam perficit in se & ad se: relatio vero, secundum propriam rationem sui generis, non respicit subjectum, ratione sui, & sistendo in illo, seu ponendo in illo aliquid, per quod fit tale in se & ad se, sed ordinando illud ad terminum, & ratione ipsius termini.

Theol. Com. Tom. II.

Ex qua doctrina Angelici Praeceptoris, hoc potest in favorem nostrae sententiae & conclusionis formari argumentum. Ratio perfectionis debet sumi per respectum ad subjectum inspectum ratione sui: At relatio nullum sibi peculiare subjectum respicit ratione sui, in illo sistendo, sed ratione termini sui correlativi, cum eo ipso quod conceptus aliquis relativus sit, est subjectum respiciat, debeat illud respicere, ordinando illud ad terminum, & ratione ipsius termini: Ergo nihil relativum potest ex se obtinere rationem seu conceptum perfectionis; & consequenter relationes divinae, ex vi propriae & relativi conceptus, non addunt perfectionem ad essentiam divinam. Minor, & utraque consequentia patet. Major autem, in qua solum potest esse difficultas, sic ostenditur. Perfectio debet respicere subjectum perfectibile, per commensurationem cum illo: At nisi subjectum ratione sui respiciat, non commensuratur cum illo, sed cum termino, qui est ratio respiciendi subjectum: Ergo ratio perfectionis debet sumi per respectum ad subjectum, inspectum ratione sui, & non ratione alterius.

131 Tertio suaderi potest conclusio. Si relationes adderent perfectionem ad essentiam, illi etiam adderent bonitatem; nam bonum & perfectum convertuntur, ut docet D. Thomas supra q. 5. art. 3. Sed relationes divinae non addunt bonitatem ad essentiam: Ergo nec perfectionem. Major patet, Minor probatur primo. Si relationes adderent bonitatem ad essentiam, cum talis bonitas non esset bonitas media, esset bonitas ultimi finis: At non possunt addere bonitatem ultimi finis, alias darentur plures ultimi fines relativi, quod nullus concedit, sicut nec plura relativa principia: Ergo divinae relationes non addunt bonitatem ad essentiam, sed infinita solum essentia bonitate gaudet.

Secundo probatur eadem Minor. Si bonitas realiter multiplicaretur in personis divinis, illa possent dici tres boni, non solum adjective, sed etiam substantive; quia significatum tam materiale quam formale hujus nominis, *bonus* multiplicaretur: Sed tres personae divinae non possunt dici tres boni, sicut nec tres magni, substantive, ut docet Augustinus 5. de Trin. cap. 8. his verbis: *Magnus Pater, magnus Filius, magnus Spiritus Sanctus, non tamen tres magni, sed unus est magnus.* Ex bono Pater, bonus Filius, bonus Spiritus Sanctus: nec tres boni, sed unus est bonus. Ergo bonitas non multiplicatur realiter in personis divinis.

132 Tertio eadem Minor ostenditur ratione a priori. In tantum aliquid est bonum & perfectum, in quantum est in actu existentiae, vel ad illam ordinem dicit ut docet S. Thomas supra q. 4. art. 1. & q. 5. art. 1. Sed divinae relationes, ratione sui, neque sunt in actu existentiae, neque ordinem dicunt ad illam, sed solum ratione essentiae divinae quam includunt: Ergo ratione sui non dicunt bonitatem, sed solum ratione essentiae. Major patet: Minor etiam, quantum ad primam partem, constat ex dicendis articulo sequenti, ubi ostendimus relationes divinas non gaudere propriis existentiae relativis, sed per absolutam divinam naturam existentiam in illis inclusam existeret. Probatur vero quantum ad secundam: Relatio (ut supra dicebamus) secundum sui propria nihil respicit, nisi ordinando ad terminum, quia totum ejus esse est ad aliud se habere: At existentiam suam ad terminum ordinare non potest, quia existentia relationis non est ad terminum, sed ad subjectum: Ergo ratione sui, & quatenus est purus respectus ad terminum, sit ut alii loquuntur, secundum rationem *ad*, ordinem ad existentiam non dicit.

Denique probari potest conclusio ex absurdis & inconvenientibus, quae sequuntur ex adversa sententia. Nam eo ipso quod tres perfectiones relative in divinis personis admittantur, necessario concedendum est, cuilibet ex illis deficere aliquam perfectionem, quae in suo conceptu nullam imperfectionem includit: At hoc cum summa perfectione, & summa divinarum personarum aequalitate non congruit: Ergo ex adversa sententia sequitur, quamlibet personarum non esse summe perfectam, nec alteri in perfectione summe aequalem. Major patet: Patrum enim non convenit filatio, nec Filio paternitas, nec Spiritui Sancto paternitas & filatio, nec consequenter perfectio relativa cuilibet personae propria, & alteri incommunicabilis. Minor vero, quantum ad primam partem, probatur. De ratione summe perfecti est omnem continere perfectionem, quae in suo conceptu nullam dicit imperfectionem: Ergo si Filio v.g. desit aliqua perfectio relativa, quae in Patre reperitur, & quae in suo conceptu nullam includit imperfectionem, Filius summe & adequate perfectus non erit. Immo nec ipsa divinitas erit forma summe perfecta: hac enim forma summe perfecta non est, quod subjectum summe & adequate perficit, & quae illi omnem perfectionem non tribuit: sed essentia divina summe & adequate Filium non perficit, nec illi relativam paternitatis perfectionem communicabit: Ergo forma summe perfecta non erit.

133 Neque valet si dicas: de ratione summe perfecti esse, quod contineat omnem perfectionem absolutam, non autem relativam; quia sicut de ratione relationis, ita & de essentia perfectionis relative est incommunicabilis. Non, inquam, hoc obstat: nam vel perfectio relativa paternitatis v.g. aliquam in suo conceptu includit imperfectionem,

G 4 vel

vel non; Si primum, non poterit esse formaliter in Patre in quo nulla potest reperiri imperfectio. Si secundum, non poterit habere repugnantiam cum perfectione relativa filiationis: habere enim repugnantiam & impossibilitatem cum aliqua perfectione, qua nullam imperfectiorem includit, imperfectio est.

138 Secunda etiam pars Minoris suadet. Primo ex Augustino relato, qui ut salvat aequalitatem personarum divinarum in magnitudine, negat dari in Deo tres magnitudines: Ergo sentit cum multiplicatione reali magnitudinis aut perfectionis, summam aequalitatem inter divinas personas non posse subsistere.

Secundo, Quod gaudet perfectione essentialiter distincta a perfectione alterius, necessario comparatur cum illo ut excelsus & excellens, asserente Philosopho. species esse sicut numeros, inter quos, cum essentiali differentia, aequalitas numerica intercedere nonquit: Sed eo ipso quod paternitas sit perfectio relativa, realiter a filiatione distincta, essentialiter distinguitur a perfectione filiationis: Ergo hoc ipso aequales esse non possunt, nec summa Fili cum Patre in perfectione aequalitas subsistere. Unde etiam ex adversa sententia sequitur, tres personas Sanctissime Trinitatis esse quid majus & perfectius, saltem extensive, quam unam tantum: quod expresse negat August. lib. 6. de Trinit. c. 8. & lib. 8. c. 1.

139 Respondet Suarez ubi supra, hac inconvenientiam non sequi ex sua sententia: quia licet perfectio relativa, quam paternitas addit supra essentialiam, non sit in Filio formaliter, in illo tamen reperitur eminenter, ratione essentialis qua illi communicatur a Patre.

Sed contra primo: De ratione summe perfecti est continere perfectissimum modo omnem perfectionem, qua in suo conceptu nullam imperfectiorem includit: Sed modus continendi perfectionem aliquam formaliter simul & eminenter, perfectior est quam modus illam continendi solum eminenter, quando talis perfectio potest denudari ab omnibus imperfectioribus: Ergo de ratione summe perfecti est continere formaliter omnem perfectionem, de cuius conceptu imperfectio non est; & consequenter ratione solius continentie essentialis perfectionis relativa, qua in paternitate includitur, non salvatur Filius esse summe & infinite perfectum.

Confirmatur: Ens summe perfectum aliter debet continere perfectionem, de cuius conceptu imperfectio non est, se illam, qua in suo conceptu involvit imperfectiorem: Sed hanc continere debet eminenter: Ergo alteram debet continere formaliter.

Præterea, Deitas continere eminenter paternitatem, est continere illam per modum principii radicalis illius; hæc enim essentialis continentia, causalitatis esse non potest, sicut illa que convenit omnipotentie respectu creaturarum: Sed Deitas, ut convenit Filio, & prout illi per æternam generationem communicatur, non est radix paternitatis, cum illam præsupponat in aliquo priori originis: Ergo Deitas, ut est in Filio, paternitatem, ejusque perfectionem relativam, eminenter non continet.

140 Denique non salvaretur perfecta aequalitas Filii cum Patre, si Filio deesset formaliter aliquod attributum, quomvis illud haberet eminenter seu radicaliter, ratione essentialis, in qua tamquam in radice continetur: quia perfectio absoluta prout in se, differt a seipsa prout contenta in causa, seu radice: Ergo pariter non subsistet perfecta Fili cum Patre aequalitas, si illi deesset formaliter perfectio relativa paternitatis, quomvis illi conveniat radicaliter seu eminenter, ratione essentialis que illi a Patre communicatur; quia similiter, in sententia quam impugnamus, perfectio relativa paternitatis, prout in se, differt a se ipsa, prout contenta in essentia divina, tamquam in radicali principio.

141 Respondet secundo Granados, loco supra citato, salvari in ejus sententia summam Filii perfectionem, & perfectam ejus cum Patre aequalitatem; quia Filius non solum eminenter seu radicaliter continet perfectionem relativam paternitatis, ratione divinitatis que illi a Patre communicatur, sed etiam aliquo modo formaliter; eo quod per circummersionem (id est reciprocum & mutuum unius persone in alia existentiam) Filius sit in Patre, ut terminus in principio, & Patre in Filio ut principium in termino, juxta illud Christi Joan. 14. Ego in Patre, & Pater in me est.

Sed hæc etiam solutio non satisficit: esto enim quod paternitas sit in Filio per circummersionem, non tamen perficit illam formaliter, alioquin illum Patrem constitueret: Ergo ratione illius, Filius non constituitur summe perfectus, nec consequenter salvatur perfecta ejus cum Patre aequalitas. Hæc ultima consequentia patet, altera vero probatur: Filius enim non potest constitui summe perfectus, nisi a forma, seu a perfectione, ipsam formaliter perficiente.

Confirmatur: si aliqua perfectio absoluta competeret Patri formaliter & intrinsece, non vero Filio, etiam per circummersionem esset in Filio, Filius non esset summe perfectus formaliter, nec Patri in perfectione aequalis: Ergo iste modus habendi perfectionem relativam paternitatis, non est sufficiens, ut in Filio salvetur ratio summe perfecti, & perfecta ejus cum Patre aequalitas.

Obijciunt in primis Adversarii quædam Conciliorum & Sanctorum Patrum testimonia, in quibus tres subsistentia divinarum personarum vocatur perfecta. Sic enim habetur in 6. Synodo actione 4. *Credimus divinitatem Patris, & Filii, & Spiritus Sancti esse in tribus perfectis subsistentiis.* Similia verba referuntur actione 18. in eisdem Constantini Pogonati.

142 Verum hæc ne leviter quidem attingant nostram sententiam. Nam, ut initio articuli diximus, non negamus subsistentias & relationes divinas, etiam ut virtualiter ab essentia distinctas, dicere perfectionem; sed contendimus perfectionem illam non esse relativam, & virtualiter distinctam a perfectione essentialis, sed absolutam & indistinctam ab ipsa perfectione essentialis, qua in illis includitur.

Obijciunt secundo celebre Damasceni testimonium lib. 1. de fide cap. 11. dicens: *In proprietatibus paternitatis, filiationis & processions, secundum causam & causalem (sive causatum) & personalem perfectionem (id est existentiam modum) differentiam intelligimus.* Quibus verbis aperte videtur admittere differentiam in proprietatibus sui relationibus divinis quantum ad perfectionem; & per consequens plures perfectiones relativas in personis divinis. Unde Clichtoveus ejus Commentator, in commentario ad hunc locum dicit: *Ob hujusmodi differentes proprietates, personalis invenitur in Divinis perfectio.*

Respondet Damascenus per perfectionem personalem non intelligere perfectionem relativam, seu que conveniat relationibus & personis, ex vi propria linea, sed ipsam perfectionem absolutam essentialis, qua et inclusa in personis divinis, & diversimode ab illis modificata, seu ut in illis habens diversum existendi modum, personalis appellatur, & quodammodo in illis diversificatur, saltem quantum ad modum habendi. Quod autem hæc interpretatio sit legitima, patet tum ex illis verbis Damasceni: *Personalem perfectionem, id est existentiam modum:* tum ex ejus Commentatore, qui post verba relata, statim subdit: *Nam principaliter est existentia modus Patris, qui a nullo est, quam ceterorum Anorum, qui ab eo sumuntur originem; & principaliter idem modus subsistentis Filii, & ratione ordinis perfectior, quam Spiritus Sancti ab eo procedentis, &c.* Quibus verbis aperte declarat, per perfectionem personalem, quam ex Damasceno in divinis personis admittit, se nihil aliud intelligere, quam ipsam perfectionem absolutam divinam naturam; qua quia est in Patre a se, & a nullo habita, ac tamquam in fontali principio divinitatis, Pater dicit aliquem primatum, saltem originis, qui non convenit Filio; & ratione cuius a SS. Patribus major illo appellatur, juxta illud Joan. 14. Pater major me est.

143 Obijciens tertio: *Mysterium Trinitatis dicit summam & infinitam perfectionem in Deo:* Sed illud relationes divinas, quibus persone constituuntur, includit: Ergo divinas relationes dicit summam & infinitam perfectionem in Deo. Minor confutat, Major probatur. Naturam divinam esse tribus suppositis communicatam, est maxima perfectio; & propterea essentia creata, ratione sua finitatis & imperfectioris, uni tantum supposito communicari: Sed mysterium Trinitatis consistit in hoc quod natura divina tribus suppositis communicatur: Ergo illud dicit summam & infinitam perfectionem in Deo. Unde Cyrillus lib. 2. Theauri cap. 1. *Non potest esse perfecta Divinitas, nisi Filium habeat, & fructum ex se pariat.* Et D. Thom. qu. 9. de potentia art. 5. ad 23. *Ad perfectionem (inquit) Divinitatis pertinet ut sint plures modi existendi in Divinis, ut scilicet sit ibi a quo alius, & ipse a nullo, & aliquis qui est ab alio; non enim esset omnimoda perfectio in Divinis, nisi esset processio Verbi & Amoris.* Et hic qu. 27. art. 2. ad 3. dicit: *In ipsa perfectione divini esse consistunt, & verum intelligibiliter procedens, & principium Verbi.*

144 Confirmatur ex eodem Angelico Doctore, qui opus. r. contra errores Græcorum cap. 7. asserit Patrem sine Filio non esse perfectum, nec Patrem & Filium sine Spiritu Sancto; referensque Athanasium dicentem, Patrem sine Verbo fore mutum, & utrumque sine Spiritu Sancto non esse vivum. Et qu. 9. de potentia art. 5. ad 24. dicit: *Non potest Patri esse plenum gaudium de seipso, nisi in Filio: sicut nec homo de seipso gaudet, nisi per conceptionem quam de seipso habet.* Cui consonat illud Zenonis Veronenis: *Latur Pater in alio se, quem genuit ex se.*

Ad objectionem respondeo, distinguendo Majorem: Mysterium Trinitatis dicit summam perfectionem, se tenentem ex parte nature divine, quæ tribus personis communicatur, concedo Majorem: provenientem a relationibus divinis, quæ sunt termini divine communicationis & fecunditatis, nego Majorem. Ut enim supra ostendimus, tota perfectio quæ in Mysterio Trinitatis relacet, se tenet ex parte nature divine, quæ summe & infinite perficit divinas personas, non vero ex parte relationum, quæ sunt puri respectus

ad terminum & correlativum, & puri termini divine fecunditatis & nature, cui nullam addunt perfectionem, sed tantum dant illi subsistere incommunicabiliter, quod (ut infra ostendimus) nulla perfectio est; in hoc enim quod est alteri non posse communicari, nulla relucet perfectio. Unde ad probationem Majoris, eodem modo distinguo Majorem: naturam divinam esse tribus suppositis communicatam, est maxima perfectio: se tenens ex parte rei communicata, concedo Majorem: se tenens ex parte relationis & modi quo communicatur, nego Majorem; & concessa Minori, distinguendum est Consequens distinctione Majoris.

145 Solutio est D. Thom. quæst. 2. de potentia art. 5. in corp. ubi postquam dixit quod paternitas non est in Filio, propter oppositionem paternitatis & filiationis, subdit: *Nec tamen sequitur, quod quomvis paternitatem Filius non habeat, quam Pater habet, aliquid habeat Pater, quod non habet Filius, nam ipsa relatio secundum rationem sui generis in quantum est relatio, non habet quod sit aliquid; sed solum quod sit ad aliquid; quod si vero aliquid secundum rem, habet ex illa parte qua inest, vel ut idem secundum rem, ut in Divinis, vel ut habens causam in subiecto, ut in creatis.* Hæc D. Thomas. Quibus verbis aperte declarat, totam perfectionem, quæ est in Divinis, oriri ab essentia, non vero a relationibus: quia relatio secundum conceptum relativum, & ut est purus respectus ad terminum, non est aliquid; sed ad aliquid: nec exprimit ordinem ad esse, ex quo ratio perfectionis & bonitatis sumitur, sed ad correlativum, quod cum habeat rationem puri termini, nullam in eam inhiat perfectionem, sed solum præbet ei distinctionem & incommunicabilitatem. Ex quo insert S. Doctor, quod quomvis paternitatem Filius non habeat, quam Pater habet, non sequitur tamen quod aliquid habeat Pater, quod non habeat Filius, quod falsum esset; si relationes adederent aliquam perfectionem essentialis; cum enim perfectio illa esset relativa, & consequenter incommunicabilis, Pater ratione paternitatis haberet aliquam perfectionem, quæ non esset in Filio, & per consequens aliquid esset in Patre, quod non esset in Filio.

147 Ad testimonium SS. Patrum in primis dico, quod licet relationes divinas nullam dicant perfectionem in Deo, arguunt tamen & indicant summam perfectionem in illo, inhiatentem scilicet ac fecunditatem. Unde sicut ex defectu possibilitatis creaturarum inferunt a posteriori, & per locum extrinsecum, destructio divine omnipotentie; ita pariter ex negatione relationum & processioem in Deo, recte colligitur arguitive & a posteriori, Deum non fore perfectum, si in illo non esset processio Verbi & Amoris, illamque infinita perfectione cariturum, si per impossibilitatem paternitatis & filiatione careret.

148 Secundo respondeo, hæc duo maxime inter se differre nempe quod relationes ad perfectionem Divinitatis pertinent, & quod perfectionem divinam naturam superaddant. Nam ad perfectionem essentialis infinita perfectio potest pertinere, & communicare se alicui rationi formali, quæ ex vi sue lineæ non asserat perfectionem, immo modo sit capax accipiendi perfectionem illius, eam in se intime includendo. Patet hoc in ente, ad cujus perfectionem pertinet communicari, & includi in vero, ut tali, licet verum, ut tale, secundum id quod superaddit enti, non dicat perfectionem & bonitatem distinctam virtualiter ab ente, sed eandem prorsus ut communicatam & derivatam ab ente in actu, quod in ipso vero transcendentaliter includitur. Ita pariter, licet relationes divine non asserant perfectionem, virtualiter distinctam a perfectione essentialis, verificatur tamen illud quod dicit SS. Patres, & præsertim S. Thomas, relationes divinas, seu plures modos existendi in Divinis, ad perfectionem Divinitatis pertinere, & in eo contineri; Tum quia in natura divina radicaliter continentur, tum etiam quia perfectionem infinitam divinam essentialis in se recipiunt & intime claudunt.

149 Ad confirmationem respondeo, quod quando S. Thomas dixit Patrem non esse perfectum sine Filio, eique non esse perfectum gaudium de seipso, nisi in Filio; per hoc non intendit, quod Filius aliquam perfectionem Patri aut divinam essentialis asserat, sed solum intendit docere, personas divinas esse inter se correlatas, & intime connexas, utrumque non posse subsistere sine alia. Vel etiam, quia divina essentia, ratione sua fecunditatis & inhiatitatis, habet quod sit communicabilis tribus personis, recte a posteriori colligitur, illam non fore infinite perfectam, & ab illa Patrem non habiturum omnimodam perfectionem, si illa non communicaretur aliis dabus personis divinis.

150 Dices: Idem S. Doctor quæst. sequenti art. 3. probat reperiri in Deo rationem persona, quia persona est summa perfectio: Sed hæc ratio non valet, si personalitas in Divinis non adderet aliquam perfectionem ad essentialiam: Ergo illi addit aliquam perfectionem.

Respondet, concessa Majori, negando Minorem: licet enim divina persona ratione subsistentie relative perfectionem non explicent, duplicem tamen implicent, naturam scilicet intellectuales, quam dicunt in obliquo & de comparato, & subsistentie absolute, quam includunt & suppo-

nunt. Unde ex eo quod divina essentia continet in se omnem perfectionem, recte insert D. Thomas reperiri in Deo rationem persona. Nec D. Thomas dixit, personam ad sic, prout est analogice communis Deo & creaturis, significare formaliter perfectionem, sed significare, id quod est perfectissimum in tota natura, nempe subsistens in rationali natura; quod verum est, licet perfectiorem de formali non explicet: ad hoc enim sufficit, quod duplicem illam perfectionem, naturam scilicet intellectuales quam connotat, & subsistentie absolute quam supponit, implicite includat. Sed de hoc redibit sermo disputatione sequenti.

151 Obijciens quarto: Perfectum, secundum Aristotelem, est cui nihil deest in proprio genere; quom definitionem admittit D. Thomas supra q. 4. art. 1. Ergo perfectio in integritate consistit. Sed paternitas v.g. est integritas, integritate relativa, qua ratione distinguitur ab integritate essentialis: Ergo est perfecta perfectio relativa, ratione distincta a perfectione essentialis.

152 Respondeo explicando definitionem traditam. Perfectum est cui nihil deest in proprio genere, dicente perfectionem, concedo: in quocumque genere, nego. Sic autem esse intelligendam & explicandam hæc definitioem Aristotelis, patet primo, quia a D. Thoma ibidem sic explicatur: *ait enim, perfectum esse, cui nihil deest, secundum modum sub perfectiōis.* Patet secundo in decreto Dei libero, cui prout ab actu necessario distinguitur, nihil deest in proprio genere; & tamen prout sic perfectiorem non dicit, alias aliqua potuisset Deo deesse perfectio. Tertio patet, quia alias peccatum, secundum formalissimum conceptum peccati, perfectum esset; cum ei ut sic nihil deest ex his que ad proprium genus desiderantur: quod licet forte ab Adversariis admittatur, est tamen contra Aristotelem, expresse asserentem, non nisi metaphysice vitium & peccatum dici perfecta, & contra manifestam rationem: nam alias verum esset absolute dicere, perfectionem aliquam subterfugeret divinam causalitatem, cum peccatum, sub ratione peccati, non causeret a Deo.

153 Obijciens quinto: Perfectio formalis consistit in conveniencia ad illud cuius est perfectio: At divina personalitas, prout ab essentia distincta, conveniens est persone constituta, cum omne constitutum consonum & conveniens sit constituto: Ergo prout sic distincta, perfectio est persona constituta, & consequenter admittenda erit in divina personalitate perfectio relativa, perfectione essentialis ratione distincta.

154 Respondeo distinguendo Majorem. Consistit in conveniencia, ut est in actu existentia, vel ut exprimit ordinem ad illam, concedo Majorem: sine tali expressione, nego Majorem, & sub eadem distinctione Minoris, nego Consequentiam: Solutio patet ex supra dictis: ostendimus enim in tantum aliquid esse bonum & conveniens, in quantum est in actu existentia, vel dicit ordinem ad illam. Unde cum relationes divine, ratione sui non dicant ordinem ad existentiam; sed solum ratione essentialis quam includunt, ratione sui non dicunt perfectionem, sed solum ratione essentialis. Ratio autem cur divina relationes, sub proprio conceptu non exprimat ordinem ad existentiam, est illa quam §. 2. ult. loco tradidimus: quia scilicet totum esse relationis in se referre consistit, unde nihil respicere potest, nisi ordinando ad terminum.

155 Ex hoc colliges notabile discrimen, quod inter divinas relationes & attributa versatur. Sicut enim supra dicebamus, relationem creatam in hoc ab aliis predicamentis differre, quod alia predicamenta respiciunt subiectum, ratione sui, in illo sistendo, & ponendo in eo aliquid, per quod subiectum perficitur in se, & non in ordine ad aliud: relatio vero non respicit subiectum ratione sui, & sistendo in illo, sed ordinando illud ad terminum, ratione illius. Ita etiam divina attributa respiciunt essentialiam ratione sui, illamque perficiunt in se, & non in ordine ad aliud, quod habet rationem puri termini, & per consequens ei addunt perfectionem aliquam virtualiter & ratione distinctam: relationes vero ex propria ratione explicita, non respiciunt divinam essentialiam, sed terminum sibi correlatum; ac proinde divinam essentialiam non addunt aliquam perfectionem virtualiter distinctam, sicut attributa, sed tantum puram respectum, a perfectione vel imperfectione abstractentem.

156 Dices: Relationes addunt essentialis entitatem virtualiter distinctam: Ergo & perfectionem. Consequentia videtur manifesta, nam bonitas & perfectio consequuntur ad entitatem.

157 Respondeo primo, Antecedens non esse certum, & negari a pluribus, qui existuntiam, quod licet divine relationes gaudeant realitate distincta virtualiter a realitate essentialis, non tamen entitate: unde docent tres relationes posse quidem dici tres res, non tamen tres entitates. Sed quidquid sit de hoc, de quo dicemus disputatione sequenti, dato

dato Antecedente, nego Consequentiam. Ad cuius probationem, distinguo Antecedens. Bonitas & perfectio consequuntur rationem entis, ut in actu existentem, concedo Antecedens: sub praecisa ratione entitatis, nego Antecedens, Mathematica enim, prout subsunt abstractioni a materia sensibili & singulari, sunt vera entia realia, & tamen, quia abstrahunt ab ordine ad existentiam, prout se non sunt bona, ut docent nostri Thomista in Metaphysica.

155 Inhabis: Subsistentia Verbi Divini, ut virtualiter ab essentia distincta, terminat naturam humanam, & supplet vires substantiae & personalitatis creatae: Ergo ut sic dicitur perfectio. Consequentia videtur bona, substantia enim Verbi Divini non potest supplere vires substantiae creatae, nisi eminenter omnem eius perfectionem contineat. At eminentialis continentia perfectionis, necessario praesupponit rationem perfectionis formaliter: Ergo substantia Verbi Divini, ut virtualiter ab essentia distincta dicitur perfectio formaliter.

Confirmatur: Personalitas Verbi Divini, prout ratione distincta ab essentia, sanctificat immediatam humanitatem Christi, in sententia satis frequenti apud nostros Thomistas: At sanctitas necessario perfectio est, cum debeat subiectum constituere sanctificatum, & obiectum congruum divina dilectionis, quod non potest nisi a forma perfecta praeseri: Ergo prout distincta ab essentia, formaliter est perfectio.

156 Ad instantiam, concessio Antecedente, distinguo Consequentem: Ergo ut sic dicitur perfectio relativam, virtualiter distinctam a perfectione essentiae, nego: absolutam, & indistinctam a perfectione essentiae, concedo. Solutio patet ex supra dictis. Sicut enim personalitas Verbi Divini, tametsi relativa sit, continet eminenter substantiam creatam, quae absoluta est, ex eo quod quamvis non explicet rationem absolutam, implet tamen illam: ita similiter, quamvis non implicet substantiam, quia illam implicat, potest perfectionem substantiae creatae eminenter continere, & illius effectum praeseri. Per quod patet responsio ad probationem Consequentem: concessio enim Majori, distinguenda est Minor. Eminentialis continentia perfectionis, necessario praesupponit perfectionem relativam, & ratione distinctam a perfectione essentiae, nego: absolutam & indistinctam a perfectione essentiae, concedo. Et distinguo Consequentem distinctione Minoris.

Ad confirmationem similiter distinguo Majorem: Personalitas Verbi Divini, prout ratione distincta ab essentia, sanctificat, ratione absolutae perfectionis essentiae quam absolute distinctam, concedo Majorem: ratione illius quod explicat, & essentiae superaddit, nego Majorem. Licet enim forma quae sanctificat, in hac sententia, sit substantia & relatio, ratio tamen sub qua sanctificat, non est id quod explicat & superaddit essentiae (quod, ut supra dicebamus, est ratio puri respectus, abstrahens a perfectione vel imperfectione) sed est ipsa perfectio essentiae quam implicat, & transcendentaliter includit, hae enim est totius sanctitatis perfectionis fons & origo.

§. IV.

Solvitur alia obiectio.

157 Obijcies sexto: Si in Deo esset unica subsistentia, illa sine dubio ratione sui diceret perfectionem ab essentia distinctam, redderet enim naturam divinam ultimo completam & terminatam: At nulla est ratio assignabilis, cur ex distinctione personarum in Deo, personalitas amittat rationem perfectionis: Ergo divina personalitates, seu relationes, ratione sui dicunt perfectionem, a natura distinctam.

Confirmatur: Personalitas creatae dicit perfectionem, realiter modaliter a perfectione naturae distinctam: Ergo a fortiori personalitas divina addit divinam naturae perfectionem, saltem ratione distinctam.

158 Ad objectionem, concessio Majori, nego Minorem. Si enim unica daretur in Deo personalitas, tunc personalitas vel esset ipsissima Dei essentia sine distinctione virtuali, vel plures sentiant de subsistentia absoluta, quam Thomista agnoscunt in Deo secundum se considerato, & praesentellecto personis: vel saltem tunc personalitas adderet aliquid absolutum ad essentiam, & consequenter perfectionem ratione ab illa distinctam. Modo vero nihil addit absolutum, sed tantum purum respectum ad terminum correlatum, & ideo non addit perfectionem; nam perfectio, ut supra ostendimus, in sola ratione absoluta consistit. Et per hoc patet solutio ad confirmationem, & discrimen inter personalitatem creatam & divinam: prima enim per aliquid absolutum constituitur; altera vero consistit in solo respectu ad terminum correlatum.

159 Neque ex hoc inferas, personalitatem creatam esse perfectiorem divina: sicut enim licet sapientia creatae afferat propriam existentiam, ac proinde aliquam actualitatem & perfectionem, quam sapientia divina non afferit; nihilominus, quia hoc non provenit ex perfectione simpliciter, sed potius ex imperfectione sapientiae creatae, cui non repugnat ut unum per accidens cum essentia constituat; &

contra vero, quod sapientia increata non afferat propriam existentiam, oritur ex summa & infinita ejus actualitate & perfectione, ratione cuius non potest unum per accidens cum divina natura constitui, non potest colligi sapientiam creatam esse in suo ordine perfectionem increata. Ita pariter, licet personalitas creatae aliquam perfectionem, involutam imperfectionibus, afferat naturae quam terminat; divina vero nullam bonitatem aut perfectionem divinam essentiae superaddit: quia tamen hoc provenit ex imperfectione naturae creatae, quae cum finita & limitata sit perfectionis, potest per aliquid absolutum terminari, & reddi incommunicabilis; & ex summa divina naturae perfectione, quae cum sit infinite perfecta & fecunda, ac tribus personis communicabilis, non potest per aliquid absolutum ultimo terminari ac reddi incommunicabilis, sed solum per relationes inter se oppositas, quae (utpote puri respectus ad terminum seu correlativum) secundum rationem explicatam, nullam dicunt perfectionem; non recte inferunt, personalitatem creatam esse divinam perfectionem. Maxime vero, quia licet divina personalitas, quantum est purus respectus ad terminum & correlativum, nullam explicet perfectionem; implicite tamen continet infinitam perfectionem divinam essentiae, quae infinite perficitur, & per consequens quamlibet personalitatem creatam in infinitum excedit.

ARTICULUS VI.

An divina relationes gaudeant existentia relativis, realiter inter se, & ab essentia essentia virtualiter, seu ratione distincta?

Suppono tamquam certum de indubitatum in Theologia, dari in Deo, ut praesentellecto relationibus seu personis, existentiam communem, absolutam, & essentialem. Patet haec suppositio: Tum quia Deus est ipsum esse per essentiam, juxta illud Exodi 3. *Ego sum qui sum*: Unde Hilarius lib. 2. de Trinit. *Non aliquid magis proprium Deo quam esse intelligitur*. Tum etiam, quia Deus, ut praesentellectus relationibus personalibus, operatur intelligendo & volendo; operari autem supponit esse. Adde quod Deus essentialiter est increatus, immutabilis, aeternus, & actus purissimus: ratio autem increata consistit in existeret a se: immutabilis vero & aeternitas, vel sunt ipsum esse divinum, vel necessario illud supponunt: Item ratio actus puri in summa actualitate consistentis, ipsissimam existentiam designat: Ergo necessario ponenda est in Deo, ut praesentellecto relationibus & personis, existentia absoluta essentialis, & communis. Hoc praesupposito.

Inquirimus, an praeter existentiam illam absolutam & communem, dentur in personis divinis tres relativae & propriae, realiter inter se, & virtualiter, seu ratione, ab essentia distinctae? Affirmant Suarez lib. 3. de Trinitate cap. 5. Arrubal disp. 104. cap. 3. & quidam alii Recentiores. Negant vero Thomista cum S. Doctore, in locis statim referendis, quibus subscribitur Vasquez, Granado, & alii.

§. I.

Conclusio negativa statuitur, & auctoritate D. Thomae probatur.

160 Deo igitur, non dari in Divinis tres existentias relativas, realiter inter se, & virtualiter ab essentia absoluta essentiae distinctas.

Hanc conclusionem ita clare & expresse docet S. Thomas, ut de ejus mente dubitare, sit veluti tenebras Soli offundere, ac in meridie caecutare. Nam quest. 2. de potentia art. 6. sic ait: *Non est concedendum, quod aliquid absolutum in Divinis multiplicetur, sicut quidam dicunt, quod in Divinis est duplex esse, essentiale & personale; enim enim esse in Divinis essentiale est, nec persona est nisi per esse essentiale*. Idem habet q. 8. art. 2. ad 11. & q. 9. art. 5. ad 19. & q. 1. de veritate art. 5. ad 18. Item 3. part. q. 17. art. 2. ad 3. haec scribit: *Quia persona divina est idem cum natura, in personis divinis non est aliud esse personae, & aliud esse naturae: & ideo tres personae non habent nisi unum esse: habentes autem triplex esse, si in eis esse aliud personae, & aliud esse naturae. Quo nihil clarius & expressius dici potest*.

Praeterea in primo dist. 33. q. 1. art. 1. postquam 162 distinxit inter esse, sumptum pro quidditate, & pro actu existendi, sic ait: *Et sic dico, quod non oportet quod esse essentiale divinis sit aliud se habere, quia illud esse, in quo personae & essentia univocatur, significatur ut esse, quod est actus essentiae: Non autem univocatur in esse quod significat definitorem, quia alia est ratio paternitatis, quae ad aliud refertur, & alia ratio essentiae*. Idem fere repetit in solutione ad 2. Ex quibus verbis hoc potest confici argumentum, ad praecedendam viam solite evasioni Adversariorum, qua plura Divi Thomae testimonia conantur eludere, dicendo illum solum negare in personis divinis multiplex esse essentiae, non vero multiplex esse existentiae. Hanc distinctionem inter existentiam

tiam paternitatis & essentiae negat D. Thom. quam inter rationem paternitatis & rationem essentiae admittit: At inter rationem essentiae & paternitatis solum admittit distinctionem virtualem, ut fassentur Adversarii: Ergo inter utriusque existentiam distinctionem virtualem excludit; & consequenter divinas relationes existentis relativis, ab existentia essentiae ratione distinctas, non gaudere existimant.

Confirmatur primo: D. Thomas ex eo probat existentiam relationum esse eandem cum existentia essentiae, secus autem illarum rationes; quia ratio relationis se habet ad aliud, & relativa est; existentia vero illius est absolutata: At formalitates absolute non multiplicatur realiter in relationibus; nec relationes addunt ad essentiam aliquid absolutum: Ergo juxta D. Thomam, existentia non multiplicatur realiter in personis divinis, nec relationes addunt ad essentiam existentiam aliquam: sed solum gaudent existentia absoluta ipsius essentiae.

Confirmatur secundo: Idem S. Doctor q. 8. de potentia art. 2. ad 11. ait: *In Divinis non est esse nisi essentia, sicut nec intelligere nisi intellectus, & propter hoc, sicut in Deo est tantum unum intelligere, ita tantum unum esse*: Sed in Deo, praeter intelligere absolutum, non datur triplex intelligere relativum, ut praecedenti disputatione ostendimus, & ipsi Adversarii praesentent: Ergo similiter, praeter esse absolutum essentiae, non datur triplex esse relativum in personis divinis.

§. II.

Eadem veritas ratione suadetur.

163 In favorem nostrae conclusionis non solum militat evidentia Divi Thomae testimonia, sed etiam plures efficaces rationes illam suadent.

Prima est: In Deo non sunt tres essentiae relativae, sed unica essentia absoluta: Ergo nec dantur tres relativae existentiae, sed unica, & absoluta. Consequentia videtur manifestissima, quia existentia convertibiliter cum essentia se habet, ac cum illa proportionatur & adequatur; subindeque immultiplicata essentia, multiplicari nequit existentia. Praeterea si in Divinis sit multiplicatio realis entitatum aut realitatum, non multiplicata realiter essentia, cur etiam illa stare non poterit cum unitate & immultiplicatione existentiae? Antecedens vero probatur: Tum quia id expresse docent Augustinus lib. 1. de Trinit. cap. 8. his verbis: *Non dicimus in Deo tres essentias; & D. Thomas infra q. 39. art. 5. ad 1. ubi explicans dictum illud Augustini: *Etiam est essentia de essentia*: dicit in rigore sermonis usurpandum non esse, cum inter Patrem & Filium non datur existentiam distinctio*. Tum etiam, quia essentia divina & natura divina usurpantur pro eodem: Sed in nullo sensu dantur in Deo tres naturae relativae: Ergo nec tres essentiae. Adde quod si in Deo admittatur tres essentiae relativae, etiam admittendae erunt in ipso tres divinitates relativae, & consequenter tres Dii, cum essentia divina idem profus sit quod Divinitas.

164 Secunda ratio. Non datur in Deo duplex ratio increata, cum virtuali distinctione, sed una quae essentia & relationes increatae constituuntur: alias tres personae essent tres increati substantivae, contra illud Athanasii, *non tres increati, sed unus increatus*: Ergo nec dantur tres relativae existentiae. Probatur Consequentia primo a paritate rationis. Si enim una ratione increatae relationes & essentiae increatae constituuntur, cur etiam una existentia absoluta, immultiplicata realiter, non poterant existere relationes & essentiae?

Secundo probatur Consequentia a priori: Nam ens divinum constituitur extra nihil (in quo formaliter existentia consistit) per esse increatum; sicut ens creabile, per hoc quod terminat creationem: Ergo si tres relationes in una ratione increatae realiter immultiplicatae conveniunt, una existentia immultiplicata realiter existit.

Probatur tertio: Cum ratio increata consistat in hoc quod est existere a se, repugnat multiplicari realiter existentiam in personis divinis, nisi etiam in illis ratio entis increati realiter multiplicetur; vel e contra, rationem entis increati in personis divinis manere immultiplicatam, multiplicata in illis realiter existentia.

165 Tertia ratio. Quae absoluta sunt, non multiplicantur in Divinis: Sed existentia relationis absoluta est: Ergo non multiplicatur in personis divinis. Major est certa, Minor vero (praeterquam quod est D. Thomae locis supra citatis) sic potest suaderi. Existentia non convenit relationi per ordinem ad terminum quem respicit, sed desinitur a subiecto in quo recipitur, five ut illi dicunt, existentia non convenit relationi, secundum rationem ad, sed secundum rationem in. Unde Cajetanus hic art. 2. ait: *Actualis existentia, etiam relatiiva, non est ad aliquid, ut docet Divus Thomas in 1. dist. 33. q. 1. art. 1. Ergo existentia relationis absoluta est*.

166 Confirmatur: illud quod tribuit existentiam relationi, debet habere aliquam activitatem, vel saltem aliquam causalitatem erga illam exercere; existentia enim est ve-

luti silentia rei extra causas. Sed terminus relationis, cum habeat solum terminare & rationem puri termini exerceat, omni activitate caret, & nullam causalitatem erga relationem exercet: Ergo existentia relationis non sumitur ex termino quem respicit, & sic non relativa, sed absoluta est.

Quarta ratio. Relationes divinae existunt per existentiam essentiae: Ergo existentibus relationibus non gaudent. Antecedens est certum; nam sicut natura divina intime includitur in relationibus, ita & ejus existentia: Repugnat autem existentiam alicui subiecto communicari, nisi reddat illud existens; sicut impossibile est sapientiam esse in aliquo, & illi non dare esse sapientem. Consequentia vero probatur. Cum existentia sit ultima actualitas, & ultimus terminus rei quam terminat, implicat eandem rem existeret per duas existentias; haberet enim duas ultimas actualitates, & duos ultimos terminos: Ergo si relationes divinae existant per existentiam essentiae, non gaudent existentibus relativis & sibi propriis.

Confirmatur primo: Existere prout abstrahit a creato & increato, consistit in hoc quod est aliquid extra nihil consistit: At entitas extra nihil posita, non potest iterum consisti extra nihil: Ergo eadem entitas duplici existentia actuari non potest.

Confirmatur secundo: Si posset eadem entitas duplici existentia actuari, nulla esset ratio, cur divina existentia duplici existentia non existeret, una absoluta & sibi propria, & alia relativa, desumpta a relationibus divinis eam modificantibus. Sicut in sententia quam impugnavimus, relationes divinae duplici gaudent existentia: una relativa & sibi propria; alia absoluta & communis, quam ab essentia in eis transcendentaliter inclusa desumunt.

167 Ultima ratio. Si darentur in personis divinis tres existentiae relativae, etiam illis concedendae essent tres aeternitates relativae: sed in eis non possunt admitti tres aeternitates relativae: Ergo nec tres existentiae relativae. Major videtur certa: primo, quia cum aeternitas vel existentia divina non distinguatur, vel sit modus illius, non stat in personis divinis multiplicari existentiam, non multiplicata in illis aeternitate. Secundo, quia cum duratio nihil aliud sit, quam continuatio rei in esse, non possunt dari in personis divinis plures existentiae, nisi etiam dentur plures durationes, & consequenter plures aeternitates; cum aeternitas nihil aliud sit, quam duratio rei omnino immutabilis.

Minor vero probatur: Si admittatur in personis divinis tres aeternitates relativae, poterunt tres personae divinae dici tres aeterni, non solum adjective, & secundum quid, sed etiam substantivae & impliciter: Consequens est falsum, immo & erroneum, & contra Symbolum Athanasii, dicentis tres personas divinas non esse tres aeternas; sed unum aeternum, sicut nec tres increatos, aut tres immensos, sed unum increatum, & unum immensum: Ergo &c. Sequela probatur: Multiplicata forma, & subiecto seu supposito, etiam nomen substantivum multiplicatur, ut docent Dialectici in summis: Sed si in personis divinis dentur tres aeternitates relativae, multiplicabitur in illis forma significata per hoc nomen, aeternitas, scilicet aeternitas: Ergo tres personae divinae poterunt dici tres aeterni, non solum adjective, sed etiam substantivae.

Respondet primo Suarez, ubi supra: quod licet dicitur 168 in personis divinis tres existentiae, immo & tres durationes, non tamen tres aeternitates; quia (inquit) aeternitas est attributum absolutum, secus vero existentia, aut duratio; & ideo haec multiplicatur in relationibus, non autem aeternitas.

Sed haec responsio est mera petitio principii: Cum enim, sicut dicebamus, aeternitas vel ab existentia divina non distinguatur, vel sit modus illius; querimus cur aeternitas absoluta sit, existentia vero abstrahat ab absoluta & relativa? Item, cum aeternitas nihil aliud sit quam duratio esse divini omnino immutabilis, inquirimus quare in personis divinis dentur tres durationes omnino immutabiles, & non tres aeternitates? haec enim manifestam repugnantiam videntur involvere.

Confirmatur: Duratio adequata dividitur in aeternitatem, aevum, & tempus, ut suppono ex quest. 10. & ideo multiplicata duratio, debet necessario multiplicari aeternitatem, aevum, aut tempus: Sed duratio divinarum personarum, cum sit omnino immutabilis, & carens principio & fine, non est aevum, aut tempus, ut patet: Ergo est aeternitas: Ergo multiplicata existentia & duratio illius in tribus personis, debet multiplicari etiam aeternitas.

169 Confirmatur amplius: Multiplicata existentia in personis divinis, necessario debet multiplicari in aliis ratio actus puri; ratio enim actus puri in summa actualitate consistentis, ipsissimam existentiam designat, ut supra dicebamus: multiplicata autem in personis divinis ratio actus puri, immutabilitas etiam multiplicari debet; & consequenter aeternitas, quae super immutabilitatem fundatur: Ergo datis pluribus existentibus relativis, concedi etiam debent plures aeternitates.

Respondet secundo Arrabal, durationem distingui ab existentia rei durantis, & ideo non oportere quod multiplicata existentia in personis divinis, in illis duratio & aternitas multiplicentur, vel quod duratio divinarum personarum relativa sit, quamvis illarum existentia sit relativa.

Sed contra primo: in frequentiori Adversariorum sententia, duratio ab existentia rei durantis indistincta est.

Contra secundo: Duratio est continuatio rei in esse: Ergo si duratio divinarum personarum, non relativa, sed absoluta sit, illarum esse, non relativum, sed absolutum erit.

Contra tertio: Duratio rei convenit illi ratione existentia (esto distinguatur ab illa;) Ergo vel existentia non multiplicatur in personis divinis, vel etiam duratio multiplicari debet. Probatur Consequencia: sicut enim quia immutabilitas sequitur ad rationem actus puri, & ad immutabilitatem aternitas; eo ipso quod ratio actus puri distingueretur in relationibus, tenetur Adversarii debere in illis immutabilitates & aternitates distingui. Ita similiter, si duratio sequitur existentiam, multiplicatis realiter existentis, debent etiam durationes, & consequenter aternitates multiplicari.

170 Tertio, alii respondent, quod licet in divinis personis non dentur tres aternitates absolute, quia aternitas absoluta ad solam naturam divinarum consequitur, bene tamen tres aternitates relative. Ad probationem vero in contrarium dicunt, quod Athanasius negat solam in divinis tres aternitates absolute & simpliciter, non tamen cum addito, scilicet in genere relativo.

Verum haec responsio temeritate non caret: ex illa enim sequitur, falsa fide, & absque injuria contextus Athanasii, posse concedi tres personarum divinarum esse tres Deos, aut tres omnipotentes relative: Consequens est absurdum & haereticum: Ergo &c. Sequela probatur: Athanasius eisdem verbis negat tres Deos, & tres omnipotentes, quibus etiam negat tres aternos: Ergo si licet interpretari Athanasium de tribus aternis, non relative, sed absolute, cui libet etiam licet eodem modo illum exponere, ac dicere, illum solum negare, tres divinas personas posse dici tres Deos, aut tres omnipotentes, absolute & simpliciter, non tamen cum addito, & relative.

Præterea, cum juxta illos Auctores eodem modo multiplicetur existentia in relationibus divinis, quo res, aut entitas: sicut personarum divinarum absolute & sine addito dicuntur tres res, aut tres entitates: ita eodem cum addito, sed etiam absolute, poterunt dici tres existentes, & consequenter tres aterni: quia cum aternitas, vel ab existentia non distinguatur, vel sit modus illius, eodem modo multiplicatur, quo existentia, ut supra dicebamus.

S. III.

Solvuntur objectiones.

171 Obijciunt primo Adversarii quendam SS. Patrum testimonia, quae videntur favere illorum sententia. In primis enim Augustinus lib. 5. de Trinitate, cap. 6. dicit: Aliud est esse Deum, & aliud esse Patrem: Ergo præter existentiam absolutam qua Deus existit, aliquid esse relativum in Patre videtur admittere. Item Cyrillus Alexandrinus dialogo de Trinitate lib. 1. loquens de Patre & Filio, sic ait: Uterque subsistit, propriamque habere dicitur existentiam. Similiter Richardus a S. Victore lib. 4. de Trinitate, cap. 17. ponit in Deo tres existentias incommunicabiles, ac proinde relativas. Denique D. Thom. qu. 9. de potentia art. 5. ad 23. hæc scribit: Ad perfectionem divinitatis pervenit, ut sint plures modi existendi in Divinis.

172 Ad Augustinum respondeo ex doctrina D. Thomæ, locis supra relatis, esse sumi dupliciter: primo pro ratione per definitionem explicata; secundo pro esse existentia. Quando ergo Augustinus affirmat, quod aliud est esse Deum, aliud esse Patrem, loquitur de esse in priori acceptione, non autem in posteriori. Cyrillus autem & Richardus sumunt ibi existentiam, pro subsistentia personali, & non pro actu essendi, ut constat ex ipso textu utriusque; & idem dici potest de D. Thomæ. Vel etiam responderi potest, illum solum velle, quod existentia essentialis & absoluta diverso modo convenit divinis personis, non vero quod in illis sint plures existentia relative. Sicut enim divina essentia, licet unica & indivisibilis, alio modo est in Patre, & alio modo in Filio, & Spiritu Sancto: in Patre siquidem est a se habita; in Filio vero, ut communicata a Patre per generationem; & in Spiritu Sancto, ut ab utroque per inspirationem communicata: ita & ejus existentia: unde potest dici, quod dantur in Divinis tres modi existendi ejusdem esse, & in eodem esse, non tamen tres existentia relative.

173 Obijciunt secundo: Existentia relationis divina debet esse relativa: Ergo & ratione distincta ab existentia essentia, multiplicata realiter, Consequencia patet, Antecedens probatur primo, quia existentia debet proportionari, & eodem genere convenire cum entitate, cujus est existentia; quare entitas substantialis nequit existentia ac-

cidentaliter extra causas constari, neque entitas accidentaliter existentia substantiali: Ergo existentia relationis divina debet esse relativa.

Secundo probatur idem Antecedens, ex ipsa definitione relativorum: relativa enim illa sunt, quorum totum esse est ad aliud se habere.

174 Tertio probatur. Si existentia divinarum relationum non esset relativa, sed absoluta, sequeretur quod Pater æternus esset ad se, & non ad alium: quod est contra rationem relativorum.

175 Respondeo negando Antecedens, ad cujus primam probationem, distinguo Antecedens: debet proportionari, quoad rationem communem substantia & accidentis, concedo Antecedens. Quoad alias peculiares rationes, nego Antecedens, & Consequentiam. Ratio discriminis est, quia essentia & existentia debent se mutuo respicere, & unum per se constituere; unde cum substantia sit absoluta ab omni respectu ad extrinsecum, nec possit cum accidenti unum per se constituere; consequens est, quod convenientia in ratione substantia desideretur inter existentiam & essentiam, secus vero convenientia in aliis peculiaribus rationibus, quibus mutua respicientia sine tali convenientia competere potest.

Vel secundo responderi potest ad eandem primam probationem Antecedens negati, distinguendo Antecedens. Existentia, & primum illius susceptivum, debent proportionari, & predicta convenientia gaudere, concedo Antecedens: Existentia & secundum susceptivum, nego Antecedens, & Consequentiam: non enim ratio divina, sed essentia, est quasi primum susceptivum divine existentia.

Potest hæc responsio duplici exemplo illustrari. Primum est de essentia divina ut habet rationem speciei intelligibilis; ut sic enim habet omnimodam convenientiam tantum cum intellectu divino, quem per se primo respicit; non autem cum intellectu humano, quem perficit secundario. Secundum delimitur ex naturalibus, nempe ex materia & anima rationali, qua existit in homine per unicum simplicem existentiam immaterialem; quia cum anima rationalis sit primum susceptivum existentia, materia vero secundarium tantum; existentia non debet proportionari omnino materie, sed anime rationali.

Ad secundam probationem Antecedentis principalis respondetur, esse quod ponitur in definitione relativorum, non sumi pro existentia; nam esse quod pro existentia sumitur in relatione, non est ad aliud se habere, sed inesse, ut docet D. Thom. q. 8. de potentia art. 2. ad 12. Sumitur ergo ibi esse, pro quidditate, seu ratione formali. Unde ad tertiam probationem distinguendum est Antecedens: Pater æternus esset ad se, quoad existentiam, concedo: quoad quidditatem seu rationem relativam, nego.

176 Obijciunt tertio: Quilibet realiter productio tendit ad existentiam rei productæ, quæ alias sine tali productione non esset: Sed personalis productio in Divinis, non tendit ad existentiam absolutam existentia: tum quia existentia essentia non producitur: tum etiam quia supponitur in persona productæ: Ergo necessario tendit ut in terminum proximum, in existentiam personalem relativam, ratione distinctam ab existentia essentia.

177 Respondeo distinguendo Majorem: tendit ad existentiam, ut producendam, vel communicandam entitati productæ, concedo Majorem: semper producendam, nego Majorem, & etiam Minorem, quam non convincunt due probationes adductæ. Non quidem prima, quia licet productio debeat ad existentiam terminari, non tamen semper debet illam producere. Nec etiam secunda, quia quamvis existentia essentia supponatur in Patre, pro priori originis ad Filium, non tamen supponitur ut Filio communicata; & ideo generatio tendit ad illam; non ut producendam, nec Patri communicandam, sed ut communicandam Filio. Et certe principalis tendit productio ad terminum formalem, quam ad existentiam rei, quæ terminus formalis non est, sed conditio termini; & tamen divina essentia, quæ in sententia plurium ex Adversariis est formalis terminus productionis personalis, non producitur, sed communicatur: Ergo licet terminetur ad existentiam, non recte colligitur illam debere esse productam. Et ratio a priori est, quia rem producere est, illam existentem constituere; quod cum possit fieri, vel producendo existentiam, vel existentiam alias productam, seu improducendam communicando; ideo non est de ratione productionis existentiam producere.

178 Obijciunt quarto: Relationes create habent propriam existentiam distinctam ab existentia subjecti & fundamenti: Ergo & relationes divines, Antecedens recipitur communiter a Thomistis in Philosophia; est enim relativum completum in suo genere, realiter distinctum a fundamento, atque ita postulat sibi propriam actum essendi. Consequencia vero probatur ex paritate rationis.

179 Respondeo, concessa Antecedente, negando Consequentiam, & paritatem: nam ideo relatio creata habet propriam existentiam, distinctam ab existentia subjecti & fundamenti, quia est limitata, & ratione limitatibus non potest

potest enim subjecto & fundamento identificari, sed debet necessario cum eo facere compositionem accidentalem: relatio vero divina caret limitatione, ac proinde identificari sibi quidquid est absolutum in Deo, & consequenter existentiam essentialem. Unde ex infinita perfectione divinarum relationum provenit quod non habeant propriam existentiam, sed existant per existentiam naturæ, & ex imperfectione relationum creaturarum, quod afferant proprias existentias.

180 Obijciunt quinto: Existentia est forma quæ aliquid constituitur extra nihil: Sed divines relationes & essentia differunt in hoc quod est poni extra nihil: Ergo differunt in ratione existentia. Major est certa, Minor probatur: Filiatio v.g. est extra nihil per productionem, & ab alio ut principio; essentia autem sine productione, & a se; cum filatio sit producta, essentia vero improducta: Ergo differunt in hoc quod est esse extra nihil.

181 Respondeo distinguendo Majorem: Est forma quæ aliquid constituitur extra nihil, complete & totaliter, concedo Majorem: incomplete & inchoative, nego Majorem. Similiter distinguo Minorem: Divina relationes & essentia, differunt in hoc quod est poni extra nihil: incomplete & inchoative, concedo Minorem: complete & totaliter, nego Minorem, & Consequentiam.

Explicatur: Ad rem extra nihil ponendam duo concurrunt, ut docet nostri Thomista in Metaphysica; entitas scilicet, veluti subiectum existentia, & existentia ipsa. Entitas ut est subiectum existentia, pro priori natura ad illam; & in eo signo in quo causæ suas exercent causalitates, est extra nihil incomplete, inchoative, vel (ut alii loquuntur) in esse vili: ratione vero existentia, est extra nihil complete & totaliter: quod in creatis contingit cum distinctione reali inter entitatem & existentiam; in Divinis vero cum distinctione virtuali secundum aliquos, aut emmentali secundum omnes. Dicimus ergo, in hoc quod est esse extra nihil inchoative (quod competit relationi ratione entitatis) diversitatem esse inter filiationem & essentiam divinarum; secus autem in hoc quod est esse extra nihil complete (quod convenit illi ratione existentia) nisi ad summum quoad modum, quatenus essentia hoc habet a se, filatio vero ut communicatum ab alio, ad quam diversitatem modalem non requiritur diversæ existentia, sed sufficienter eadem, primario essentia conveniens, & secundario filiationi communicata. Sicut ut essentia divina alio modo dicitur esse in Patre, & alio modo in Filio, non requiritur quod diversificetur, aut multiplicetur in illis, sed sufficit quod in Patre sit a se habita, in Filio vero ut communicata a Patre per generationem.

182 Obijciunt ultimo Adversarii, & est precipuum illorum fundamentum. Existentia nihil aliud est, quam entitas actualis: Sed relationes divines, ut virtualiter distinctæ ab essentia, sunt tres entitates actuales, realiter distinctæ inter se, & ratione ab entitate actuali essentia: Ergo sunt tres existentie realiter distinctæ inter se, & ratione ab existentia essentia.

183 Respondeo primo, negando Majorem. Ut enim docent nostri Thomista in Metaphysica, existentia non est res ipsa actualis, sed potius ipsa actualitas, qua subsistit extra causas, & ponitur extra illarum causalitates & dependentias: unde existentia dicitur quasi extra causas filentia.

184 Respondeo secundo, data Minori, distinguendo Minorem: Sunt tres entitates actuales, numero cadente super entitatem, concedo Minorem: cadente super ipsam actualitatem, nego Minorem, & Consequentiam. Itaque sicut tres personæ divines sunt & dicuntur tres sapientes adjective ab eadem sapientia, & tres omnipotentes ab eadem omnipotentia; ita sunt & dicuntur tres entitates actuales, ab eadem actualitate & existentia in illis inclusa: quia in nominibus adjectivis numerus non formatur, sed subiectum numerat, ut docent Dialectici in summulis.

185 Dices: Paternitas, prout ratione distincta ab essentia, non solum est actualitas, sed est etiam actualis ab actualitate essentia ratione distincta: Ergo gaudet existentia relativa ratione distincta ab existentia absoluta essentia. Consequencia videtur bona; quia existentia in actualitate consistit. Antecedens vero probatur primo: quia paternitas, ut ratione distincta ab essentia, non est potentialis; potentialitas enim dicit imperfectionem Deo repugnantem: Ergo prout sic distincta, est actualis, immo & actualitas. Probatur secundo: paternitas, ut ratione ab essentia distincta, acta refert Patrem æternum ad Filium, illumque a Filio actu distinguit: Ergo ut sic est actualitas quedam, ratione distincta ab actualitate essentia.

Respondet primo, distinguendo Antecedens: Est actualitas entitativa, ratione distincta ab actualitate essentia, transeat Antecedens: est actualitas existentia, nego Antecedens, & Consequentiam: ad cujus probationem eadem distinctione utendum est, & concessio utroque Antecedente, eodem modo distingui debet utrumque Consequens. Solutio patet ex his quæ docent nostri Thomista in Physica, admittentes in partibus compositi plures actualitates entitativas, negantes vero plures existentias.

Respondet secundo, negando Antecedens. Ad cujus primam probationem, concessio Antecedente, nego Consequentiam. Nam ut paternitas, prout virtualiter distincta ab essentia, non sit potentialis, non requiritur quod prout sic distincta, sit actualis explicite, sed fat est ut implicite actualitatem essentia: sicut ut sit increata, sufficit quod ratio entis increati in illa implicite includatur, nec existat quod illa in personis divinis multiplicetur; alius (ut supra dicebamus) darentur in Divinis plures increata substantia. Similiter ad secundam probationem, concessio Antecedente, neganda est Consequencia: quia ut paternitas acta refert Patrem æternum ad Filium, illumque a Filio actu distinguit, non est necesse quod ratione explicite ei actualitas conveniat, sed sufficit quod ei competat ratione essentia, quam implicite includit.

DISPUTATIO IV.

De Personis Divinis.

Ad questionem 29. D. Thomæ.

Consideratione divinarum processionum & relationum, juxta præscriptum ordinem initio tractatus, ad considerationem divinarum personarum in communi descendimus, & duo breviter hic examinanda suscipimus. Primum est, an ratio personæ vere & proprie reperitur in Divinis? Alterum: quodnam sit formale significatum hujus nominis, persona divina? Per quid vero divinx personæ constituentur, dicemus infra disp. 11. artic. 2. quando de personis in comparatione ad relationes five proprietates differemus.

ARTICULUS I.

Utrum ratio personæ vere & proprie reperitur in Divinis?

S. I.

Explicata definitione personæ, sententia affirmativa habetur.

Atnequam quaesito respondeamus, definitio personæ in communi, a Boetio tradita, & a D. Thomæ hic art. 1. approbata, breviter explicanda est.

Sic ergo definitur persona a Boetio: Persona est rationalis natura individua substantia. In qua definitione, primo substantia ponitur loco generis, & supponit pro substantia completa. Quare per hanc particulam, non solum accidentia, sed etiam substantia incomplete, ut partes, tum integrales, tum essentialia excluduntur a ratione personæ; & ideo anima rationalis, quamvis propria gaudeat subsistentia, & separata a corpore existat, in statu tamen separationis non potest dici persona. Secundo additur ly individua, ut per hoc excludantur nature universales, & secunda substantia, scilicet genera & species, quæ proprie personæ non sunt. Unde D. Thomæ hic art. 1. ad 2. ait, per hoc quod additur individua, trahi substantiam ad standum pro substantia prima, quæ a Græcis hypostasit dicitur, & quæ supra singularitatem addit incommunicabilitatem. Propter quod Richardus a S. Victore, ad majorem hujus definitionis explicationem, addit ad individuum substantiam, particulam incommunicabilitatis, quæ (ut notat D. Thomæ in 3. ad Annibal. dist. 5. quæst. unic. art. 2.) triplicem communicabilitatem a persona excludit, scilicet communicabilitatem universalem ad inferiora, partis ad totum, & nature ad suppositum, a quo sustentatur, vel terminatur. Quamobrem licet humanitas Christi sit substantia individua & completa, quia tamen communicatur alteri ut supposito sustentanti, scilicet Verbo Divino, non potest dici persona: nec similiter natura divina, quamvis secundum se gaudeat subsistentia absoluta (ut infra ostendemus) quia communis est tribus Suppositis, a quibus terminatur, & redditur incommunicabilis.

Denique predictæ definitioni additur, rationalis seu intellectiva nature, ut per hoc excludantur a ratione personæ supposita naturarum irrationalium. Unde D. Thomæ hic art. 2. docet suppositum, primam substantiam, personam, hypostasiam, ita inter se comparari, ut suppositum & prima substantia sint omnino idem; sicut & modo ex communi usu pro eodem sumuntur persona & hypostasis. Persona vero seu hypostasis non differt a supposito seu prima substantia, nisi ut inferius a suo superiori; quia persona non dicitur nisi de primis substantiis nature intellectuales; suppositum vero dicitur de omnibus primis substantiis cujuscumque nature. Hac definitione personæ præmissa & exposta, inquirimus utrum ratio personæ sic explicata, vere & proprie reperitur in Divinis.

Sententiam negativam olim tenuisse Laurentium Vallam Grammaticum, libro 6. elegantiarum cap. 34. referunt Re-